



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Theophili Raynavdi, Ex Soc. Iesv. Erotemata De  
Malis Ac Bonis Libris, Deque Ivsta Avt Inivsta, eorumdem  
confixione**


**Raynaud, Théophile**

**Lvgdvni, 1653**

Operis clausula. Sicera moerentibus, & vinum iis qui amaro suut corde:  
Siue author cuius liber confixus fuerit, quibus verbis ad vocibus, hunc  
lenire dolorem poßit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11141**

cluso ei ad nundinas itinere per aliquot dies, non exequeretur quod iure tenetur, si tantum dimitteret mercatorem liberum, eique permetteret aditum ad nundinas, per reliquum tempus quo durabunt. Alstringitur enim insuper satisfacere pro iniuria irrogata per iniustam impeditionem iniectam; itemque damna consecuta sarcire. Non aliter ergo statuendum est in re nostra. Et damnorum quidem realium reparatio, quomodo facienda sit, non est perceptu difficile; est tamen executu difficillimum, cum aded caro stet librorum editio, & lucrum inde speratum non soleat esse exiguum. Famæ verò, & honoris reparationem adæquatam iniuriæ, constat præstari non posse, nisi sincera nequitia in autorem innoxium admittæ detestatio, quantum erit in reo, tantundem peruagetur, quantum disseminata fuerit confixio; vnâque probum, & inhonoratio autoris. Quam mentem, vt suscipiat homo malignus, qui alienæ famæ dilapidationem, nihil antea fecerit, & honorem proximi aded indignè protriuerit, difficillimum arbitror; & absque peculiari, & supra communem modum exaggerato diuini roris affluxu, ferè impossibile.



### OPERIS CLAVSVLA.

*Sicera merentibus, & vinum iis qui amaro sunt corde.*

S I V E,

*Autor cuius liber confixus fuerit, quibus verbis ac vocibus, hunc lenire dolorem possit.*

566.

**D**istinctio hîc adhibenda est. Vel enim iusta fuit confixio, vel iniusta. Quamuis autem vtrobet modo sit facta libri confixio, & Autoris dehonestatio, iustum, ac congruum sit, eum dolorem lenire; tamen pro eo duplici confixionis modo, varium leuamen est adhibendum,

*Libro iuste damnato, unde captanda autori patientia.*

Si liber perspicuè noxius erat, & iure ac legitime facta est confixio, ab iis qui poterant, & debebant, nec censores ius sibi quo non pollebant, arrogarunt; non est quoddam autor nisi de leuitate sua, & præcipiti editione operis, vel non satis pressi ac discussi, vel omnino premendi, & nunquam publicandi, queratur; præsertim si quod non raro contingit, censores ante editionem quaesisset, qui palparent, non rescinderent vulnera, & strumosa operis. Rari enim sunt, qui cum Blesensi dicant *epist.* 77. [ Libri mei prima pars, à Magistro Guilielmo fratre meo correctæ est; quia timeo, ne sit indulgentior mihi, si quid in eo vitiosum inuenit, precor, vt ab initio totum diligentiore cura recurratis; quatenus nihil ibi resideat, quod lectorem offendat, quod inducat errorem, quod virtutem non exerceat, quod non ædificet fidem, quod vitam non instruat, quod non sapiat honestatem. ] Aufonius egregie

egregiè idem poscit à Drepanio in epistola metrica ludo. VII. Sapientum,  
 prefixa.

*Musei quorundam libri, autoribus in cordolium.*

Plerique in edendis libris sunt iusto celeriores, ut mirum non sit irrepere in eos quod configi debeat. *Museos* libros vocat Plinius lib. 8. epist. 21 & Plinium æmulatus Sidonius lib. 8. epist. 3. uterque huiusmodi subuentancos fœtus improbens. Infaniam leuem, huiusmodi scripturam vocat S. Hieron. epist. ad Rusticum, de forma vite Monastica, sub finem; & meritò, ut enim est apud Apuleium lib. de Deo Socratis, sub initium. [Nulla res potest esse eadem, festinata simul, & examinata: nec est quicquam omnium, quod habeat, & laudem diligentia simul, & gratiam celeritatis.] Rectè, & illud Hieron. 1. in Iovin. ferè iurio. [Basilista quanto plus retrahitur, tanto fortius mittit. Non est damnium dilatio, ubi certior fit ex dilatione victoria.] Itaque Poëta, nonum in annum premi volebat scripta, priusquam vulgarentur, sic monens sub finem Artis Poëtica, postquam derisit, scribendi impetiginem, & multos corripiciens cacoethetes.

567.

— — Si quid tamen olim  
 Scripseris, in Merij descendat iudicis aures,  
 Et patris, & nostras; nonùmque prematur in annum.  
 Membranis intus positis, delere licebit,  
 Quod non edideris. Nescit vox missa reuerti.

Ipsa natura docet nos, fœtum non cum primùm conceptus, & formatus est, luci dare; sed formare per oclum, priusquam exeat in apertum: sic formanda & fingenda sensim sunt, quæ ingenij uterus conceperit. Hoc pauci præstant, præproperos fœtus, & abortiuos eniti studentes. Et quamuis in tanta vitæ breuitate, non placeat Ludouico Viues lib. 5. de tradendis disciplinis, in fine, ea per Poëtam indicta nonum in annum operis suppressio, cum partus humanus tantùm sit nonimestris; nimiamque limam iure improbet Plinius lib. 9. epist. 35. nec alia verè possit in hoc statui regula, quàm ne partus abiiciatur immaturus, ut idem Viues rectè statuit: tamen præstat tarditate quàm præcipatione peccare, certùmque est quod Quintilianus prudenter monebat, opus iam conscriptum aliquantisper seponendum esse, ut qui conscripsit ad illud postmodum refrigerato inuentionis ardore, tanquam ad alienum redeat, ut lector, non ut autor. Ex ea enim retardatione, limabitur & expolietur iudicium, carent eo commodo, qui opera informia fundunt. Patere ergo se, aliorum sannis ac confixionibus, ne mirentur.

568.

Pauci seruant in edendis libris suis, quod seruatum abs se profiteretur Plinius lib. 7. epist. 17. [Nullum, (inquit,) emendandi genus, omitto. Ac primùm quæ scripsi, mecum ipse pertracto; deinde duobus, aut tribus lego; mox aliis trado annotanda; notasque eorum, si dubito, cum vno tursus, aut altero pensito; nouissimè pluribus recito; ac si quid mihi credis, tunc acerrimè emendo. Nam tanto diligentius, quanto sollicitius intendo.] Et post multa, in eandem sententiam, sic epistolam claudit. [Proinde non pœnitent me consuetudinis meæ, quam utilissimam experior, adeoque non deterreor sermunculis

569.

culis istorum, vt vltro te rogem, monstres aliquid quod his addam; nihil enim curæ meæ satis est. Cogito quàm sit magnum dare aliquid in manus hominum: nec persuadere mihi possum, non & cum multis, & sæpè tractandum, quod placere, & semper, & omnibus cupias.]

569.

Similem curam qui prætermiserit, & libros fundere potiùs quàm tempore edere diu pressos, longaque lima expositos laborarit, ac vt est apud Sanctum Hieronymum *epistola ad Desiderium*, fœtus suos euolare de nidulo fuerit, & temerario editionis honore vulgauerit; vel quod sectatores Prohæresij coram Proconsule ex Aristide vsurpatunt, (vt refert Eunapius *pagina 143.*) audire neglexerint; Non sumus vomentum è numero, sed elaboratè aliquid enitentium; mirum non erit, si pro bono libro, fungum, (vt sic dicam,) emisierint, & pro approbatione confixionem, ac confutationem referant: nec rarò ab iis ipsis qui ad scribendum, & edendum adulando perpulerint, vel coram laudibus extulerint, sannas consequantur; quod Rustico Monacho hariolatur Sanctus Hieronymus, sic eum admonens; [ne ad scribendum, citò profilias, & leui ducaris insania, multo tempore discere quod doceas; ne credas laudatoribus tuis. Immò irrisoribus aurem ne libenter accommodes; qui cum te adulationibus fouerint, & quodammodò impotem mentis effecerint; si subitò respexeris, aut ciconiarum deprehendes post te colla curuari, aut manu auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam.]

*Prurigo scribillandi, confixionem sæpè  
aduocat.*

570.

Quid quòd plerique, nec à doctrina, nec ab aliis necessariis scriptori dotibus satis instructi, temerè ad scribendum appulerint animum, intemperanter abutentes otio: de quo questum in Tusculani sui vestibulo Tullium nouimus; & latè etiam de eadem scribendi prurigine expoſtulat Petrarcha *libro 1. de remed. dialog. 44.* Symmachus item, breuissimè quidem, sed perpulchrè *libro 1. epistola 70.* [Natura rerum est, vt qui balbutiunt, plus loquantur: affectant enim copiam, pudore defectus. Hoc exemplum me expetit, cui magna scribendi impatientia est, cum desit oratio.] Philippus Abbas *lib. de silentio Cleric. c. 49.* hanc scribendi pruriginem, & veterum, & recentiorum propriam, pulchrè describit exagitatque.

Ab huiusmodi scriptore, & ex se minùs habente, & per censores priusquam opera sua vulgaret, lenocinato ingenij sui abortionibus, quid expectari conueniens, & non suffixione dignissimum potuit? Itaque est quod admet impeditam progressionem malorum, quæ consecutura fuerant non suffixo libro, sed liberè vulgari, & diffundi permisso. Vnde & autor apud æquos æstimatores auctius probum, & fortè auctior damnatio existere poterat.

*Humilitas*

*Humilitas post iustam confixionem,  
tenenda.*

Sed quod qualitas habet sæpè languentium, (iuxta Gelasium *epist.* 8.) absit vt Medicos accusent, hæc præter æger de quo agimus. Absit, inquam. vt contra stimulum calcitrare, & impatientius excepta confixione obfirmari in errore, illumque tutari, & calces censoribus illidere, inducat in animum. Quo in genere Michael Baius, æternum quibusuis scriptoribus exemplum sapientiæ ac virtutis statuit, cum confixis à Francisco Toletio per Pontificem ad id deletæ, nonnullis eius libris, oblatæque censura, an acquiesceret rogatus; *malle se dixit porcos pascere, quàm cuiuscunque per Ecclesiam delecti iudicio, de scriptionibus suis, pernicaciter oblucriari.* Muniendus humilitate est animus, & exprimens imitacione S. Augustini demissio; qua paratum se profitebatur, etiam ab indoctioribus corrigi. Quanto igitur magis paratum esse quemque oporteat, vt ab iis corrigatur, quibus ius sit, & qui meritò corrigere supponuntur?

571.

*Lenimen à tam multis libris deperditis, etiam  
Canonicis, & SS. Patrum.*

Hoc quoque ad leuamen, in euentu de quo agimus, conferre non parum poterit; grauiſſimorum Scriptorum libros, sedax æuū, aut incuria familiarium, aut casus inopinatus, posteris eripuit. Aristotelis voluminum propè immensam congeriem repræsentat Laërtius *lib. 6. cap. 17.* Varronis, qui *Polygraphotatos* dictus est, tam multorum &, teste D. Augustino, tam eruditorum voluminum, quàm minutæ supersunt reliquæ? Senecæ opera, quantam labem sint passa, Lipsius obseruauit in *Prolegom. ad Senecam cap. 10.* Ipsiſ libris Canonicis, & sacris, quanta vastitas illata? Fusè in hanc rem disserunt Hincmarus in *prefatione ad vitam S. Remigij*, Michaël Medina *6. paran. cap. 5. & 6.* Sherlogus *anteloq. 7. in Cant. sect. 7.* Serar. in *prolegom. Bibl. cap. 8. quest. 14. & 15.* Sed breuiter audi Chrysostomum *hom. 7. in 1. ad Cor.* [ Multi libri perierunt, & pauci sunt conseruati, etiam in priori captiuitate. Et hoc est perspicuum in his qui restant. Dicit enim Apostolus, à Samuele, & iis, qui deinceps fuerunt, Prophetis, omnes de ipso dixerunt. Non habentur autem hæc omnia. Paulum autem, vt qui legem didicisset, & loqueretur spiritu, est consentaneum omnia accuratè, & exactè sciuisse. Et quid dico de captiuitate? Etenim ante captiuitatem, multi libri erant aboliti, cum Iudæi impegissent in extremam impietatem. Id autem est manifestum ex quarto libro Regum; nam Deuteronomium vix fuit inuentum, in fossam in sterquilinio. ] Non sum nescius, Salmeronem *tom. 1. prolegom. 9. cap. 4.* negare librum vllum sacrum intercidisse. Sed vides contrarium diserte statui à S. Chrysostomo, latèque idem stabilit Pineda *lib. 1. de Salom. c. 1. à num. 10.* & Delrio *Adagio 110.* agens de libro bellorum Domini, qui sæpè in Scriptura citatur, nec vſquam comparet.

572.

Eandem vastitatem passi sunt libri quidam sacri; exceperere quoque Acta Sacra SS. Martyrum, vt latè persequitur Baron. in *prælu diis ad Martyrol. cap. 3.*

573.

Sic

Exceperunt

Exceperunt quoque Patrum multorum variæ lucubrationes, Clementis Alexandrini, Origenis, Gregorij Nazianzeni, Basilij Magui, necnon S. Chrysoftomi, cuius in vniuersum veteris, ac noui Testamenti Scripturam, lucubrationes repræsentat Cassiodorus in *prefatione ad diuinas Institut.* Quanta lacuna in tantis diuitiis sit facta, tam paucis tantorum virorum lucubrationibus residuis, perspicuum est. Testanturque præterea Theophanes ac Cedrenus, Constantino, & Irene imperantibus, incenso Patriarchio Constantinopolitano, absumptam simul esse magnam partem scriptorum S. Chrysoftomi, nunquam editam; ac proinde ab iis diuersorum, quæ Cassiodorus exhibuit. Atque vti nam verum esset, quod ait Isidorus Pelus. *lib. 4. epist. 224.* scripta S. Chrysoftomi in Scripturam, extremos terræ, & maris terminos penetrasse. Heu de quàm paucis eius scriptis, præiis quæ sunt abolita, verum agnoscere vetamus, quod dixit S. Isidorus? Ex S. Ambrosio desideramus quamplurima: vt commentarios in Etsiam, memoratos à S. Augustino *lib. 2. contra Iulian. & lib. 1. de nupt. c. 35.* Libros de Philosophia, siue de Sacramento regenerationis, quos D. August. *lib. 2. contra Iulian.* allegat, videturque opus diuersum ab eo cuius meminit extrema *epist. 35.* aiens scriptum aduersus eos, qui Christum è Platonis libris profecisse mentiebantur. Eiusdem Commentarios in omnes Prophetas, memorat Cassiod. *cap. 3. diu. lect.* vbi etiam *cap. 5.* adducit eius homilias in *Sapientiam.* Et *cap. 2.* allegat librum eius *de iudicio Salomonis.* Ac denique *cap. 8.* Commentarios in *Paulum*, ab Hilarianis quos habemus, diuersos Paulinus in *sancti viri vita*, institutionem eius ad Christianam fidem Fritigildi Marcommanorum Reginæ inscriptam, & alium librum de puerili institutione ad Panophium commemorat. Quæ & alia fœcundissimi & amœnissimi ingenij monumenta, intercederunt Nuper, (vt recens exemplum non omittam) sapientissimus Pater Arnaldus Bohyræus, cum in vniuersum Aristotelem luculentos commentarios editurus proximè esset, fœturam complurium annorum; tot laboribus iniecta malitiosè flamma spoliatus momento est.

*Clades immensarum Bibliothecarum.*

574.

Sed quid paucorum voluminum iacturam persequor? Imensas Bibliothecas, quarum indices iusta volumina impleant, exhibent Lipsius *Syntagmate de Bibliothecis*, & Lægius *lib. 2. epist. medicin. epist. 3.* Librorum illorum pars maxima profus perijt. Leo Isaurus 12. Monachos, eorumque Præfectum, præpositos bibliothecæ tricenorum, ac trium millium voluminum, constituta prope S. Sophiam, incendio cum Bibliotheca absumpsit, quod Iconoclastis refragarentur, vt scribit Constant. Manasses *num. 166.* Quam multi apud Photium auctores, ex solo Photij breuiculo noti sunt, operibus planè deperditis? Postea etiam quàm multorum opera, omnis generis, & omnis ætatis, nullo licèt interposito aduerso casu, vel confixione, perierunt? Nec ipsum arbitror mundum, capacem fore librorum, qui non dico aliquot ante Christum seculis, sed non ita multo ante nos, editi sunt. Euanuerunt quamplurimi, & leuarunt orbem. Eadem fors in dies plerisque obringit. Scombris plerique tunicas dant molestas, & nigram citò rapti in culinam, Cordyllas madula tegunt papyro, vel thuris piperisque sunt cuculli. Autor cuiuslibet, iure, & meritò  
confixus

confixus fuerit, secum reputet, quod breui per se euenturum libro erat, tantisper ocys per confixionem accidisse: quandoquidem liber iuste confixus, atque adeo non bonus fuisse supponitur.

*In dubio de iustitia confixionis, censura  
acquiescendum.*

Æquè patienter agendum est, si obscurior, nec planè aperta, (quanquam neque aperte, vel admodum probabiliter nulla) fuerit confixionis iustitia. Præsumentum enim est pro potestate legitima, à qua suppono factam confixionem. Nostra quoque in rebus nostris cœcitas, aut visus certè suppressio, cogitanda: quia ad pronunciandum de rebus nostris inidonei admodum sumus. Frequentissimum quippè est, vt ea nobis ad veritatem dicta videantur, quæ deferuescente æstu affectus in proprium inuentum, & lenocinante sibi semper rebûsque suis, amore nostri immoderato, appareant quod sunt; idest falsa, & improbanda. Aiebat de Suffeno Catullus, ad Varrum,

575.

*Hoc quid putemus esse? qui modò scurra,  
Aut si quid hac re tristius videbatur,  
Idem inficeto est inficetior rure,  
Simul Pœmata attingit. Neque idem unquam.  
Æquè est beatus, ac pœma cum scribit:  
Tam gaudet in se, tamque se ipse miratur,  
Nimirum idem omnes fallimur, neque est quisquam,  
Quem non in aliqua re videre Suffenum  
Possis: sumus cuique est attributus error,  
Sed non videmus, mantica quod in tergo est:*

Quare aliis quos proprius amor, & natiuus affectus à sincero iudicio de alieno opere non prohibuit, illuxisse fortassis veritatem quam offuciis aliquibus nimius sui amor offuderit, non grauatè adducetur vt credat, quisquis ea qua par est temperatione, æstimare sua, & suo se modulo metiri didicerit.

*Iniustæ quorundam iure damnatorum  
querelæ.*

In hoc euentu, querelæ reorum de iudicibus, vel accusatoribus, iniustæ sunt, & repellendæ. Tales apud aliquos, non iniuria confixos leguntur, Reutlinus, siue quia eius opus de Cabalisticis nugis iam improbatum erat, siue quia præsentiebat improbandum, indirectè, & quasi per occasionem alterius iniuria violati, ista in censores, vel actores fudit *lib. 1. de arte Cabalistræ, pag. 758.* agens de Ioanne Pico Mirandulano. [ Noui ipsum olim domo exulantem apud Gallos, & Allobrogas, pulsúmque patria, & fugatum acerrimè ab inuidis, quadam de stabili persecutione, propter eximia Philosophica studia sua, & nobile ingenium. Est adeo genus hominum, (vt ait Terentius,) qui esse primos se omnium rerum volunt, nec tamen sunt. Ex coruo fortè nati, quæ auis vsque ad Coronei annos, vt est in fabulis, vestita priùs albis plumis, posteriùs nigris, colorem indumenti eis præbet, candidi, & atrii: vnde *fratres atrati dicuntur*; quippe volucris ea, ob im-

576.

piam delationem, semper odiosa Phœbo. Hi tunc fuerunt œstrum, hi Mastiges, hi canes, tam generosi, & tam eruditi Christiani, nostro seculo multa Hebræorum arcana dogmata Romanis auribus perquam doctè impertiti.] Cardanus in similibus expostulationibus, de iis per quos damnatus fuerat, vel quibus agentibus doctrina eius minùs plerumque sana, malè audierat, [frequens est. Sed prospiciendum potiùs Cardano, Reuelino, ac similibus fuerat, ne improbanda scriberent. Ex quo autem Christianis, & Catholicis incongruenter, vulgarunt aliqua; perversè efferantur in sacros excubitores, inuigilantes communi bono. Non plura de patienter, & æquo animo excipienda confixione, vel apertè, vel certè probabiliter, iusta: ac saltem, quam iniustè latam esse, non constet.

*Vnde captanda animi delinitio, in indigna  
libri confixione.*

577. At cùm confixio libri est apertè iniusta, si inde quidem prodierit, vbi nulla configendi potestas erat, calcanda est ac despuenda, liberè vsurpando illud Iuliani Imperatoris, de cynicis libris ac sententiis, sub initium Orationis sextæ. [Si est vt præ liguriendi cupiditate ac mollitie, aut vt vno verbo summatimque complectar, corporis voluptatibus irretiti, sermones istos contemnant, ac ludibrio habeant, quemadmodum ad scholarum, vel iudicialium Basilicarum fores, meiere canes assolent; Nihil, (vt est in prouerbio,) ista curat Hippocrides, vt neque catulos, dùm ista committunt, magnoperè curamus.] Quin etiam amanda erit eiusmodi confixio, quod nitentibus de more in veritum hominibus, ad quos arrogatæ censuræ rumor permanebit, vendibilior ex ea fiet liber malè confixus. Præterquam quòd non desunt in Orbe eruditi, & affectu liberi viri, qui de huiusmodi iniustis laborum alienorum confixionibus, statuere ad veritatem possint, & soleant. Notatum hoc sæpè in variis iniquis librorum confixionibus; quarum probum apud peritos, & probos, in capita ferentium recidit: ita vt euanescente sensim dedecore, & absterfa post breue tempus infamia, libri pretium, & autoris gloria, emicuerit multo quàm ante luculentius; & mendaces ostensi sint, qui purum & nitentem maculauerant; completumque sit quod de suo quodam opere scribit ad Demetriadem S. Hieronymus his verbis. [Ante annos circiter triginta, de virginitate seruanda edidi librum; in quo necesse fuit mihi ire contra vitia, & propter instructionem virginis, quàm monebam, Diaboli insidias patefacere. Qui sermo offendit plurimos, dum vnusquisque in se intelligens quod dicebatur, non quasi monitorem libenter audiuit; sed quasi criminatorem sui operis auersatus est. Veruntamen quid profuit armasse exercitum reclamantium, & vulnus conscientie dolore monstrasse? liber manet, homines præterierunt.] In eo porrò euentu, ius est cuique, respondendi stulto iuxta stultitiam suam, [nè deterioris præsumptionis excitet incentiua, vaga, & effrœnis impunitas,] vt loquitur Petrus Blesensis, ea lucubratione, qua iniustum operum suorum censorem, paulo vehementius, sed non vltra condignitatem flagitij, exagitaui.

578. Quod si inde prodierit iniusta libri confixio, vnde iusta prodire poterat, & expectari debebat; tunc autor læsus, gratuletur sibi beneficium diuinum in illius contemptiois perpeffione: exhibeat se Philosophum, qualem Nazianz. orat. 27.

num. 23.



num. 23. his verbis exhibet. [ Est quædam in fabulis arbor , quæ cùm caditur , viret ; & aduersus ferrum certat , ac , ( si de re noua nouo more loquendum est , ) morte viuât , & sectione pullulat , atque cùm absumitur , crescit. Mihi verò huiusmodi quidam planè videtur esse Philosophus. ] Censores quicquid tentauerint , & quocumque animo sint progressi , quem volo fuisse deterrimum , agnoscat , non vt hostes , sed vt præmiorum procuratores. Tales enim reuera sunt , qui in nos grassantur immeritò , ( vt egregiè dixit S. Chryostomus *homil. 22. in ad Rom.* ) seruiuntque nobis , cùm maximè obesse se censent , vt pulchrè docet D. Augustinus *serm. 78. de temp.* In summa , quæcumque lenimenta ad patientem irrogati iniuria probri perpeffionem commodare possunt , cuiusmodi multa protulimus in tractatione *de patientia lib. 5. de virtut. à num. 95.* in hunc æquè locum cadunt.

*Primarij quique Scriptores sacri , passi mastigas.*

Gratuletur sibi præterea sortem Sanctorum , quos plerumque hac quoque in parte , improprio Christi participasse , compertum est. [ Etiam magnorum virorum , cum ipsis autoribus nonnunquam scripta periclitantur , interpretantis arbitrio , ] ait Zozimus Papa *epist. 3.* [ Si Doctorum series , ( ait Philippus Abbas *lib. de silentio Clericor. c. 49.* ) à modernis sursum versus , vsque ad Apostolos reuoluatur , quorum innumera multitudo , & simul post inuicem fuisse memoretur , vix eorum quisquam , ( vt æstimo , ) poterit inueniri , tam fœlicem statum temporis habuisse , vt veraciter gauderet , se nullum detractorem , nullum æmulum pertulisse. ] Vt Sanctum Thomam taceam , cuius scripta variis locis , malè animatus Episcopus Parisiensis , vel potiùs à Saranæ emissariis in fraudem actus , anathematis fulmine vibrato confixit , neenon Bellarmini opus controuersiarum , quod aliquando nonnisi , quia negauerat Pontifici dominium directum super omnia regna Christiana , Romæ est proscriptum , & in Indice librorum infamium repositum , vt habetur in eius vita *lib. 2. c. 7.* paulo altiùs scandendum est.

579.

*Sanctus Hieronymus ob scriptiones suas , variè vexatus.*

Sancti Hieronymi libros , qui , & quàm multi non momorderint modò , sed & lacerauerint , ignorare non potest , qui in eius lectione versatus sit , saltem mediocriter. Videatur nominatim , initium vitæ Sancti Hilarionis ; & epistola ad Pammachium pro libris suis contra Iovinianum , qua memorat coactum Pammachium amore autoris , libros illos subducere , ne laceratio , & odium in autorem , auctius semper , & auctius fieret. Sed appositissimè præfatione in *Esdras* , & *Nehemiam* , ad Domnionem & Rogationum loco iam superiùs prolato , sed hîc ex necessitate iterando. Inter causas enim feriendi à scriptione pro qua rogabatur , hanc profert præcipuam. [ Accedunt ad hoc inuidorum studia , qui omne quod scribimus , reprehendendum putant : & interdum contra se conscientia repugnante , publicè lacerant , quod occultè legunt. In tantum vt clamare compellar , & dicere : *Domine libera animam meam à*

580.

*labiis iniquis, & à lingua dolosa.* Tertius annus est, quod semper scribitis, atque rescribitis, ut *Esdrae* librum, & *Hester* vobis de *Hebraeo* trasferam, quasi non habeatis *Græca* & *Latina* volumina; aut quidquid illud est, quod à nobis vertitur, non statim ab omnibus conspuendum sit. Frustrà autem, (ut ait quidam) niti, neque aliud fatigando, nisi odium quærere, extremæ dementiæ est. Itaque obsecro vos, mi *Domnion*, & *Rogatiane* charissimi, ut priuata lectione contenti, libros non efferatis in publicum; nec fastidiosos cibos ingeratis: veterisque supercilium eorum, qui iudicare tantum de aliis, & ipsi facere nihil nouerunt.]

Et tamen is fuit *Sanctus Hieronymus*, ut eius in scribendo dotes, non dicam assequi, sed ex parte saltem aliqua, etiamsi minima, exprimere posse, ad fœlicitatem in hoc genere, sat esse posse videatur. Non illum eruditio, non iudicium, & quidem acre ac emunctum, non linguarum peritia, non eloquendi copia, non quilibet euincendi facultas, defecit. [*Hieronymus*, (inquit *Cassianus lib. 7. de Incarn. c. 26.* (Catholicorum Magister, cuius scripta per vniuersum mundum quasi diuinæ lampades rutilant.) Et mox: [*Hieronymus*, vir sicut maximæ scientiæ, ita probatissimæ, puræque doctrinæ.] I nunc, & te confixum exostula, lacerato *Hieronymo*.

*Procella in Sancti Augustini scriptiones.*

581. *Sanctus Augustinus*, nomenclatore *Ruperto lib. 7. de oper. Spiritus sancti c. 19.* [columna, & firmamentum veritatis, & verè columna nubis, in qua thronum suum posuit sapientia Dei.] [Literarum omnium, (iuxta *Cassiodorum, Prologo in Psalter.*) egregius Magister, decurrens tanquam fons purissimus, nulla fœce pollutus. Totus Catholicus, totus Orthodoxus, & in Ecclesia Domini suauissimo nitore resplendens, superni luminis claritate radians.] Cuius libros siliginem præ suo furfure, & deliciosum animorum pabulum appellat *Sanctus Gregorius Magnus lib. 8. epist. 37.* [Cuius doctrinam secundum prædecessorum meorum statuta, Romana sequitur, & seruat Ecclesia,] ait *Ioannes Papa epist. ad Auienum.* [Hæc verè artificiosa apis Dei, construens fauos diuini nectaris plenos, manantes misericordiam & veritatem;] Sic enim de eius libris sensit *Seuerus epist. 37. inter Augustinianas.* Iustus liber eiusmodi elogiis *D. Augustini*, & scriptorum eius, contexti non difficile posset. Is tamen non ab Hæreticis modò profcissus, & fœdissimè laceratus est, quod *D. Hieronymus* ad ipsum scribens, summo planè honori vertendum statuit; sed etiam à Catholicis plerisque, atrocissimam occasione librorum quorundam suorum, vexationem sustinuit: paucissimèque *Prædestinatianus*, & nouæ hæreseos concinator audiuit, ut *Apologiis* plerisque, eam labem eluere necesse habuerit: quod docent, liber *de gratia & libero arbitr.* liber *de corrept. & gratia*, liber *de prædest. SS. & de dono perseuer.* & qui pro eo, nomine ipsius, librum ad articulos sibi falsò impositos edidit *Prosper.* Præter ea, quæ in eius, & defensionem, & laudem, habet idem *Prosper epistola ad Rufinum, carm. de ingratia; & libro contra collatorem, ac epistola ad ipsum Augustinum contra Semipelagianos.* Unde discimus, *Hilarium Arelatensem*, aliòsque *Gallicanos Episcopos*, ac *DD.* in libros *Augustini* strinxisse censuram, quos *Cælestinus I. epist. ad Episcopos Gallia,*

Gallia, seuerè ac fortiter compefcuit; & enubilata sensim caligine, quam liuor & æstus affectuum inimicorum obduxerat, verum esse apparuit, quod de Augustino dixit Facundus Hermian. *lib. 9. pro tribus capitulis, in ipso fine*; [Augustinus vir Adamantinus, in quo omnes aduersariorum dentes franguntur.]

*Libri Sancti Gregorij exagitati.*

Nemo nescit quid Sancti Gregorij libris contigisse, prodat Ioannes Diaconus *lib. 4. vitæ c. 69.* Refert enim in eos igne scuitum publicè, mox à morte sanctissimi Pontificis, nec nisi interueniente Petro Diacono, qui iureiurando firmavit, visum frequenter abs se columbæ specie super caput insidentis Spiritum sanctum, in argumentum edocti diuinitus sancti Pontificis frænata esse licentiam, ne cæteros eius libros, qui superstites sunt, æquè deleteret. Non melatet, refragari huic narrationi Baronium *anno 664.* caulatam antiquiorum, Paterij, Ilidori, Ildephonfi, de ea exustione silentium; & Sigeberti assertionem, qua disertè negat, opus vllum Sancti Pontificis in ea procella periisse, obstantè, vt dictum est, Petro Diacono. Sed cum idem Sigebertus *in opere de viris illustribus c. 41. & 43.* secus tradat, argumentum autem à silentio cæterorum, sit ab autoritate negatiua, quod omnes agnoscunt esse insufficiens, & enerue; non video quomodo inde conuellatur narratio quam à maioribus hauistam, scriptor vitæ Sancti Gregorij prodidit, præsertim cum idem Ioannes *sequenti capite 70.* ex ipsiusmet Sancti Gregorij epist. ad Ioannem Rauenaræ Subdiaconum, demonstrat, plerosque libros à Sancto Gregorio fuisse conscriptos, quorum nullibi extant vestigia; vt expositionis in Prouerbia, & in Prophetas, & in libros Regum, neque enim pauca quæ habemus *in 1. Regum, & Ezechielem,* mensuram implent titulorum illorum. Non addo Heptaticum *ibidem* commemoratum, quod expressam eo nomine existimem, expositionem in 7. Psalmos Pœnitentiales, quæ extat. Est verò ad rem præsentem satis, quod vltro admittit Baronius: nempe Sancti Pontificis lucubrationes, quamuis incendio exemptas, non leuiter tamen periclitatas à rabie eorum, qui opera patris sui molientes exequi; quem furorem in sanctum virum iam vita functum non poterant expromere, in eius scripta conuerterunt: nec id clam, aut furtim, sed palàm, & in foro medio eius vrbis, in qua viri sancti proximè cælo illati, adhuc calebant vestigia; quam sapientiæ suæ, ac virtutum vbertate, tot annos compleuerat. Hæc fuit in ipsamet vrbe Romæ, fors Sancti Gregorij: qui si Sancto Ildephonso auscultamus *lib. de viris illustribus cap. 2.* [ita cunctorum meritorum claruit perfectione sublimis, vt exclusis omnium virorum illustrium comparationibus, nihil illi simile demonstrarit antiquitas, vicit enim sanctitate Antonium, eloquentia Cyprianum, sapientia Augustinum.] Non præsto me huius elogij vadem. Tantum dico. Tam indigna, tam fœda, tam atrocita, horrendaque, in sanctissimi viri planè aureas & cœlesti spiritu refertissimas lucubrationes, ausam inuidiam, & malevolentiam, quisquis acceperit; nã delicatus sit; si iniustam suffixionem gradu ipse tanto inferiore,

582.

inferiore, & parens Scriptorum præ S. Gregorij, scriptis ne memorandum quidem, impotentè excipiat.

*Dionysij Exigui, & Ruperti, descriptiones  
allatratae.*

583. Neminem eruditorum later, quàm magnus eruditione fuerit homo corpore exiguus, Dionysius, Abbas Romanus. Eum Beda *lib. de ratione temp. c. 45.* Sigebertus *in Catalog. illustr. Script. c. 27.* sed præ omnibus Cassiodorus *lib. diu. instit. c. 23.* celebrant à sapientia sacra, & profana; quòlque est charisma melius, à sapientia, & exquisita pietate. Non defuisse tamen libris eius mures arrosiores; idem Cassiodorus non prætermisit.

Rupertus, qui querelas de suis descriptionibus sæpè confixis sæpè ingeminat, tandem cum Sancto Hieronymo; concludit in hunc modum *lib. 7. in Matth.* [ Veruntamen quomodocumque volunt, præsentès de nobis iudicent, futuri clementius iudicabunt: dum enim viuimus, (ait vir illustris Hieronymus,) & vase fragili continemur, videntur amicorum prodesse studia, & nocere æmulorum opprobria. Postquam autem reuerfa fuerit terra in terram suam, & tam nos qui scribimus, quàm eos, qui de nobis iudicant, pallida mors subtraxerit, & alia venerit generatio, primisque cadentibus foliis, virens sylva succreuerit; tunc sine nominum dignitate, sola iudicantur ingenia, nec considerat qui lecturus est, cuius, vel quale sit, quod lecturus est, siue ille Episcopus, siue sit laicus; Imperator; & dominus; miles, & seruus, aut in purpura, aut serico, aut in vilissimo panno iaceat; non honorum diuersitate, sed operum merito iudicabitur. ]

*Spes mutandorum similiter circa se temporum, solatium  
Autoris malè damnati.*

584. Hæc igitur sunt verba, & voces, quibus scriptor malè confixus, hunc lenire dolorem in præsentia possit. Aderit, si Ecclesiæ bonum, & diuina maior gloria ferat, aderit fortassis quandoque dies, quæ malignè negatam, aut ereptam gloriam, auctori & operi cum fœnore refundat; vt circa Sanctorum prædictorum scripta, copiosè factum videmus. Quinetiam verbum est Ethnici, sed sæpè nostri, (vt Tertullianus *lib. de Anima* vocauit,) Senecam dico, *epist. 79.* [ Gloria, umbra virtutis est, etiam inuitos comitabitur; sed quemadmodum aliquando umbra antecedit, aliquando sequitur; ita gloria aliquando ante nos est, visendamque se præbet, aliquando in auerso est, maiorque quo serior, vbi inuidia secessit. Quamdiu videbatur furere Democritus? Vix recepit Socratem fama. Quamdiu Catonem ciuitas ignorauit? Respuit; nec intellexit, nisi cum perdidit. Rutilij innocentia ac virtus lateret, nisi accepisset iniuriam; dum violatur effulsit. Numquid non sorri suæ gratias egit, & exilium suum complexus est? De his loquor, quos illustrauit fortuna, dum vexat. Quàm multorum profectus, in notitiam euasere, post ipsos? Quàm multos fama non excepit, sed eruit? Vidēs Epicurum, quantoperè non tantum

tum eruditiores, sed hæc quoque imperitorum turba miretur? Hic ignotus ipsis Athenis fuit, circa quas delituerat. Multis itaque iam annis Metrodoro suo superstes, in quadam epistola, cum amicitiam suam, & Metrodori, grata commemoratione cecinisset; hoc nouissimè adiecit, nihil sibi, & Metrodoro inter bona tanta nocuisse, quod ipsos illa nobiles Græcia non ignotos solum habuisset, sed penè inauditos. Nunquid non opinio eius emicuit? Hoc Metrodorus quoque, in quadam epistola confitetur, se, & Epicurum, non satis emicuisse; sed post, se, & Epicurum, magnum præclarumque nomen habituros, apud eos qui voluissent per eadem ire vestigia. Nulla virtus latet, & latuisse, non ipsius est damnum. Veniet qui conditam, & seculi sui malignitate compressam, dies publicet. Paucis natus est, qui populum ætatis suæ cogitat. Multa annorum millia, multa populorum superuenient. Ad illa respice. Etiam si omnibus tecum viuentibus silentium liuor indixerit, venient qui sine offensa, sine gratia iudicent; quod est pretium virtutis ex fama, nec hoc interit.]

Hoc ipsum in præsentis negotio cogitemus, præsertim cum id ipsum circa Auctores proximè memoratos contigisse deprehendamus. Veritas enim, vt benè admonet Lactant. lib. 3. Inst. c. 1. tametì ad tempus aliquod offuciis subit, tamen instar lucis corporeæ discutit denique affusas nebulas, & puro ac sereno veluti cælo micat. [Benè, (alebat de Christianis falsò damnatis Ethnicos alloquens Tertullianus c. 7. Apolog.) benè quod omnia tempus reuelat, testibus etiam vestris prouerbis atque sententiis, ex dispositione naturæ quæ ita ordinauit, vt nihil diu lateat, etiam quod fama non distulit.] Quæ illa sint prouerbia Ethnicorum, quæ sententiæ, quibus latentis aliquandiu veritatis, etiam nec per famam dilatæ, hoc est, (iuxta Tertulliani ex Tacito phrasim,) dissipatæ, eruptio asseritur; Andreas Hoyus in Tertulliani prouerbialium elucidatione exposuit; prolato Seneca cuius illud est, Veritatem dies aperit; & Flacco qui sic ait:

*Quicquid sub terra est, in apricum proferet atas;  
Defodiet, condetque nitentia.*

His accedunt similia Græcorum effata. χρόνος πάντων ἐπιστάντης. omnia explorans ac retegens tempus. Et illud Plutarcho celebratum lib. de oraculor. cessat. χρόνος ἐφειλέτης. Tempus aliquando fidem suam liberans. Ex Sophocle nonnulla in hanc rem adducit Gellius lib. 12. c. item 12. vbi additur Philosophi cuiusdam pronunciatum, quod veritas sit filia temporis; quia procedente tempore, oclusa prius veritas retegitur. Quo Plutarchus in Problem. refert cur Saturno, (cui χρόνος, siue tempori nomen,) præter usum erga cætera numina vigentem sacra fierent operto capite; quia scilicet veritas aliquandiu operta & contacta, denique aperitur, sicut caput nunc opertum pileo nunc apertum. Sicque verum comprobatur illud Christi oraculum Matth. 10. Nihil opertum quod non reueletur, & occultum quod non sciatur.

Quorsum hæc? Nimirum vt cuius doctrina iniuste confixa est, spem concipiat, veritatem prouidente Deo erupturam suo tempore, & famam malè violatam, cum fœnore restitutum iri. Sanè in nullius potestate est facere, vt doctrina speculatiua ex se vera aut probabilis, amittat veritatem & probabilitatem

Tt                      suam,

suam, quacunq; demum censura percellatur, & cuiuscunq; confixione proferibatur. Itaque tametsi ad tempus opprimi potest veritas, & siue potentia configentis, siue malignitate & fraude planorum, videri potest indignè habitata, & de gradu suo deiecta; tamen seriùs ocyùs emicabit; vt videmus factum circa insignes illos scriptores, quos ludibrium debuisse calumniæ, superiùs vidimus; ita vt etiam anathematum vibratione proscriptæ fuerint eorum lucubrationes, quas posteritas omni cum plausu & approbatione excepit, mirata vel ignorantiam stuporémque, vel malignitatem anteriorum, à quibus tam à recto abhorrens tractatio manarat. Quidni ergo quilibet similia passus, similia sibi & scriptionibus suis malè confixis sperare possit? In spem contra spem credere, Abrahamicum est, & magno dignum pectore.



GEMITVS